

ex una parte, et magistrum domus templi in Hungaria et Sclavonia, dudum iam verteretur, super medietate terrae de Licenissa in Comitatu de Possega, et pro terra de Maladin in Comitatu de Dobicha (Dubica); ad pacem inter ipsos re-formandam et ad majus malum euitandum, de consensu totius supradicti nostri capituli, pro decimis marturinarum totius comitatus de Volco, et de Kraigna (Krajina) a supradicto domino nostro Colomano Rege in concambium nobis traditis integraliter, decimas nostras de Licenissa et de Nessicha (Našice) dictae domui templi dedimus permutandas, et in perpetuum concessimus pacifice possidendas. Si autem in supradictis terris de Licenissa et de Nessicha auri vel argenti Fodina reperta fuerit; decimae proventuum auri vel argenti de parte saepe dictae domus templi, ad nos vel ad successores nostros integraliter devolvantur; et utrum de parte domini regis apud ipsum intercedere velimus, nostrae relinquimus voluntati. Et ne super hoc apud hujus concambii ignaros in posterum possit orriri dubietas; praesentem paginam nostrorum Sigillorum munimine praefatae domui templi concessimus roboratam. Datum Quinque Ecclesiis mense Majo, Anno Gratiae MCCXXXIX. Farcasio Praeposito S. Petri existente, et Helia praeposito S. Johannis, M. Thoma Lectore S. Petri, Jurcone Cantore, Theodoro Custode, magistro Cancellario Archidiacono Marchia, Tunnino Archidiacono de Tolna et magistro Desiderio Archidiacono de Kraigna tum existentibus.

Ex authographo, asservato Quinqueecclesiis. Koller. Epp. Quinqueecl. T. II. p. 112. — Katona H. G. Tom. IV. pag. 875. — Fejér. Codex Dipl. Reg. Hung. T. IV. vol. I. p. 172.

L.

Anno 1240.

Colomanus, Slavoniae Dux, comunitati Petrinensi in confinio Banali sitae potestate regia libertates et jura confert.

Colomanus dei gracia rex Ruthenorum et dux tocius Sclauonie omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in eo qui dat salutem regibus. Cum de beneuolencia ac de predestinatione summi regis ad hoc sumus preordinati, ut singulis in iurisdiccione nostra constitutis simus secundum apostolum in iusticia debitores, propensius et specialius hospitibus, qui nostrum sibi senserint subsidium profuturum, debite uolumus iusticie exercere complementum. Hinc est, quod nos tam presencium quam futurorum uolumus noticie declarare, quod hospitibus nostris in Petrina commorantibus, talem hoc modo concessimus libertatem: ut ipsos nullus iudicum nostrorum preter maiorem ville eorum,